



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

14. B. Stanislaus Kostka S. J.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Dies B. Stanislai Kostkæ, No-  
viti in Societate Jesu Sanctissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**octrinaliter dixit S. Bernardus:  
*Bonorum adolescentulorum est, ti-  
morem Dei habere, referre parentibus  
honorem, & castitatem tueri.* Hæc om-  
nia præstitit B. Stanislaus vivum Angeli-  
cæ juventutis speculum. Fili! in hac  
doctrina si deficiamus, nec cælo, nec  
homini grati vivimus.

*Instructio meritoria.*

Deum non timer, nec custos purita-  
tis est, qui amat multum vivere in publi-  
co, & inter homines. In multa, & lon-  
ga conversatione, præsertim si cum Deo  
non est, haud effugietur peccatum. Ca-  
veamus publicum, & amemus vitam oc-  
cultam & fitemus magni in timore Do-  
mini, ut B. Stanislaus, in cujus hono-  
rem recitabimus officium de eodem, &  
si illius imago ad manus, plurimîs vene-  
remur osculîs cum suspirio: Angelice  
Juvenis! Cor mundum impetra, da soli  
vivere Christo, & penitus mori sæculo!

II. Dei-



## II.

**D**eiparam sic à teneris adamavit, ut cum sociis etiam piissimis decertaret, qui magis eam honoraret. Quò præmiò? Admirandò. Stanislao ex infirmitate decumbenti Maria suum offerret Jesulum, in illius sinum reponit, abstersóque morbò Societatem Jesu ingredi jubet. Mira solatia! Quomodo nos ò fili! gustamus? Si cupimus multum, Mariam diligamus, & veneremur plurimum. *Causa enim formalis nostræ recreationis est Beatissima Maria, quia omnibus suæ Deiformissimæ Conversationis speculum, & exemplum est. S. Antoninus.*

*Instructio meritoria.*

Ut & in nostro vivamus statu, famuli Deo, & Mariæ addictissimi, nobis, & proximo utilissimi, B. Stanislaum in Directorem animæ nobis eligamus, necessitates, & angustias omnes plenè consignemus, & ad perpetuam assistentiam humiliter invocemus, pro omnibus de statu suo periclitantibus subjungendò  
30. *Pater & Ave* cum illo versiculo:

Te



*Te ergò, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Et Oratione : Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam &c.*

## III.

**B.** Stanislaus Divæ Barbaræ devotus meruit, ut ab angelis in ultimo morbo reficeretur venerabili S. Altaris Sacramento. Et nos ò dilecte! desideramus in luctâ mortis ultimâ auxili-um? Cupimus & moribundi hoc coeli-cum accipere delictum? Ecce! S. Stanislaus cum Diva Barbara in nostrum jam stant parati obsequium. Non accepta-bimus? Væ nobis; quia fame peribimus!

*Instructio meritoria.*

Certam nobis constituamus, & eliga-mus diem per septimanam, quam no-bis quasi mortis ipsissimam determine-mus. Hanc diem per annum sæpius aut extraordinariâ sacramentali commu-nione, aut speciali sacrificio Missæ, aut sanctâ solitudine, & mirâ vitæ sanctita-te honorabimus. Ordinariè eodem die venerabimur omnes bonæ mortis Pa-tronos



476 XV. Augusti. Assumptionis B. V. M.

tronos recitando *Lytanias*, quas ordo  
Commendationis Animæ habet præfi-  
xas. Quibus & nomina B. Stanislai, &  
S. Barbaræ inseramus. Tela prævisa mi-  
nùs feriunt.

Solemnitas Gloriosissimæ mun-  
di Dominæ, & Reginae in cælos  
Assumptæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce! moritur Maria sine dolore,  
sine timore. Amore dissolvitur  
Virgo, ut esset cum Christo. Morie-  
mur & nos; Sed in mediis doloribus,  
& mortis angustiis. Si in humilitate,  
Castitate, & charitate perfectâ vixeri-  
mus ut Maria, lætantes & moriemur  
cum ea.

*Instructio meritoria.*

Heu! quales nos expectant angustiae  
pro lectulo mortis? Has ut nobis allevi-  
emus, quid statuemus? Ad consecra-  
tionem S. Hostiæ, & pretiosi Calicis  
SSS, Trinitati, & Mariæ singulariter  
commendemus extremam luctam, pro  
qua suaviter subeunda quotidie sataga-  
mus